

[Per regressum inquam, ab operationibus confuse cognitis ad earundem causas; cum aliqua negotiatione intellectus, ut loquitur Averr: & exemplo lib. I. Phys. constat.]

th. 4. *Affectiones istae sunt, loqui, disciplinas addiscere, & invenire posse, apprehendere rem cum abstractione ab omni supposito, loco, tempore, materia, & accidentibus: affirmare, negare; discursu ignotum ex notis elicere; velle, nolle, &c.*

th. 5. *Quae cum homini naturalia & interna sint; Principia & ipsa talia erunt; naturalia inquam & interna: Cujusmodi quidem, anima, quam dicimus Rationalem: & corpus organicum, hominis proprium.*

[(1) Proprium inquam: non quod & brutorum corpora, non sint organica; sed quod nulli ex ijs anima rationalis jungi apta nata sit, *μετεμψυχώσεσσι* Pythagorica omni rejecta. (2) Internam autem cum dico animam; eamque rationalem; quaeque non nisi cum corpore sibi unito hominem constituat: eo ipso & à Platonicorum quorundam (quibus homo, est ipsa anima; ab essentiae constitutione remoto corpore; etiam dum anima in corpore) & Averrois me abjungo sententia, de Intellectu in omnibus hominibus uno; & forma, non informante; sed assistente tantum.]

th. 6. *De Corpore viderint alij. Nos animae hic curam suscepimus: quam ex operationibus illis, Imaterialem agnoscimus, & immortalem; Quorum utrumque, essentiae illius, adeoque, ex se illi, & per naturam competat.*

[Ab operationibus inquam th. 4. praecognitis; confuse quidem; sed idonee, & ad rem praesentem, satis. Quamvis à distinctae cognitionis regressu; major huic sententiae lux, & certitudo ducenda sit. Ratiocinatione quippe sine corporis organo, & immaterialia ipsa cognoscimus; & materiata, cum abstractione à loco, tempore, adeoque; ab ipsius materiae, existentiae, & singularitatis involucris liberata, in considerationem vocamus; universalibus fabricatis, & illis, quae *Entia rationis* dicuntur; non sine reflexione etiam actuum, & agendi eligendi; libertate, &c. Quorum nihil est, quod non immaterialem hanc animae naturam insinuet; ipso nimirum Intellectus;

Intellectus;